Robert Unger

G. Krüger.

1875

SCHOLAE HIEROPOLITANAE

ILLUSTRI BONARUM ARTIUM APUD THURINGOS ALTRICI

D. I. M. IUL. A. MDCCCLXXV

QUARTUM SAECULUM SOLENNITER AUSPICANTI

LIBENTES ANIMIS GRATULANTUR

SUCCESSUSQUE RERUM PROSPERRIMOS

PIA MENTE PRECANTUR

GYMNASII CIVICI HALENSIS

COLLEGAE.

HALIS SAXONUM.

FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS.

R. Unger

PARALIPOMENA

RERUM CYPRIARUM.

Quum multae res, quae ad Cypri insulae descriptionem pertinent, nequaquam satis adhuc contestatae sint atque explicatae, tum fluviorum montiumque situs amplissimam suppeditat dubitandi et disceptandi materiam. Et in fluviorum quidem mentione quid Engelii cura reliquum fecerit, ex iis, quae de Setracho expedivimus Epist. Crit. p. XXVII sq. et Philol. XXXIII p. 422 sqq., satis apparet; nunc duorum memoriam promontoriorum subtiliore disputatione, qua ad emendandos aliquot veterum scriptorum locos non dubie profici videatur, licet instaurare.

I.

Dinaretum promontorii nomen circumfertur doctorum hominum sermone a Meursii aetate Cypr. I. 28 p. 75 usque ad Engelium I. p. 89 cf. Baehr. Herod. V. 108 p. 213 pervagato. Nimirum satis certo auctore isti sibi stare videntur Plinio Nat. Hist. V. 31, 25 (129 p. 387 Sill.):

> Huius — longitudinem inter duo promontoria Dinaretum et Acamanta, quod est ad occasum, Artemidorus CLXII D, Timosthenes CC (prodidit).

Quam auctoritatem vacillare vel iacere potius perspicitur vel hoc argumento, quod eorum, quae inter libros discrepant, contentione facta hoc emergit atque apparet post litteras d et cl inter se permixtas (quo quidem errore nullum a librariis frequentius admissum esse nemo ignorat) accidisse, ut per hos deinceps gradus: Didas et

(Leid. cf. clinans Paris. 4), Dinas et (Riccard. Vatic., quos libros iam sequutus est Silligius), Dinaret (Paris. 1.), Dinaretum et (ed. Dalec. Brot.) desciseeretur ab eo, quod verum erat:

inter duo promontoria Clidas et Acamanta.

Κληΐδας enim non insularum modo, sed promontorii nomen fuisse, id quod ignorat Engelius l. d. not. 18, manifestis testimoniis Herodoti V. 108 *περιέπλωον τὴν ἄκραν, αἳ καλέονται Κληΐδες τῆς Κύπρου* et Hesychii p. 273: *Κλεῖδες ἄκρα τῆς Κύπρου* (cf. Plin. l. d. 130: „quattuor insulae ante promontorium ex adverso Syriae Clides", ubi promontorium *Βοὸς οὐράν* dici opinatur Baehrius l. d.) compertum attulerunt Meursius I. 27, 73 et Wesselingius Simson. Chron. p. 1330. Praeclare autem nostrae sententiae suffragantur, qui iisdem nominibus insulae longitudinem definiverunt, Strabo XIV. p. 682: *μῆκος δὲ ἀπὸ τῶν Κλειδῶν ἐπὶ τὸν Ἀκάμαντα πεζῇ σταδίων χιλίων τετρακοσίων ὁδεύοντι ἀπὸ ἀνατολῆς ἐπὶ δύσιν* (cf. p. 684: *ὅστις τῆς νήσου τὸ μῆκος ἀπὸ τῶν ἄρκτων πρὸς μεσημβρίαν ἀποδίδωσιν, ἀπὸ Ἱεροκηπίας — ἐπὶ Κλεῖδας*) et Agathemerus Geogr. I. p. 186, quem neglexit Meursius I. 5. p. 14: *Ἀπὸ Μυριάνδρου ἐπὶ Κλεῖδας Κύπρου στάδια ͵αύ, ἐπὶ Ἀκάμαντα τὸ ἀκρωτήριον στάδια ,γτ΄.*

Ceterum non temere interpreter, an ad expromendum istud commentum Dinaretum valuerit recordatio eius loci, quem Salamini sive Constantiae proximum *Διανευτήριον* appellatum fuisse testatur Polybius in Vita Epiphanii T. II. p. 365. B. 378. A. Meurs. I. 21 p. 61. Quod vocabulum eiusdem fere generis videtur esse atque *Τρόγοδον ὄρος* et *Βούκασα ὄρος,* quae nomina in Dionys. Byz. Append. p. 124 Wescher. consignata reperio.

II.

Iam de Catulli carmine XXXVI. 12:

Quae sanctum Idalium Uriosque apertos
Quaeque Ancona Cnidumque arundinosam
Colis

dicere aggredior. De quo loco insigniter controverso postquam nihil quidquam expedivit Schwabius, nos examinatis Scaligeri Heinsiique et Vossii sententiis, quas iam Valckenarius Theocr. Adon. 100 p. 391. B improbandas esse significavit, in alia omnia discedendum esse rati difficultatis eximendae copiam intelleximus suppeditari subtiliore eorum, quae libris discrepant, pervestigatione. Et iis quidem, qui Eriosque apertos proposuerunt, quod Marullo video perplacuisse Epigr. II. p. 35 ed. Spir.: Cum per Idalium Cytheraque alta Aut Colchos Amathuntave Eriosque Exerces faciles levis choreas." III. p. 61: „qui Memphin puer Aeriosque Temperas colles et amoena

Cypri Rura.“ Hymn. p. 118: „iunctis vehitur columbis Aeriosque altos et opima Cypri Templa revisens“, vel idcirco, quod Bembi sententiae (Achill. Stat. p. 183 cf. Meurs. I. 3. p. 8. 15. p. 45 sq.) ne eius quidem rei, quam Anecd. Boiss. I. p. 423 proditam invenio: *τὸ τῆς Χαλκηδόνος ἀκρωτήριον τὸ παλαιὸν Ἥριον — Ἡερία μετωνομάσθη ἤγουν ἀερία,* commemoratione idonea excusatio quaeri potest, tutius fuit in eam partem, quo et Lycophronis 1333 ducunt codices Paris. F et Casan. *Ἔρις* (*Ἄρδις* Pal. Rehd. cf. Xen. Anab. V. 6, 9 *τίγρις.* add. Plin. N. H. III. 5, 7. Iria. Ricc. Paris. 4. Tria cf. Catull. codd. utrios) et ea res non perplexe dirigit, quod Catullum locos Argonautarum fabulis celebratos Bithynico itinere penitus cognitos habuisse scimus, quam in eam, cui animum intendit Achilles Statius, spectantibus Iridis fluvii nomen in hunc modum restituere: „Iriosque (Iridosque cf. Coniect. nostr. Stat. I. p. 160) apertum os“ (ut apertum stagnum, lacum legimus apud Avienum D. O. 1069. 1177), quum praesertim nec Colchorum mentionem spreverit Marullus iis rationibus, quas protulit Is. Vossius, commendabilem et Valerii Flacci IV. 600 testimonium: „Quid memorem, quas Iris aquas, quas torqueat Ancon“ cf. Apoll. Rhod. II. 369 sq. valde congruere videatur. Verum haec in nullo discrimine ipsi ponimus; nam istud erios etiam levioris fidei est, quam alterum, quo olim Meursius I. 8. p. 23, 11. p. 37, post Meursium Heinsius et, ne omnes recenseam, Lachmannus Hauptiusque et eorum adstipulator Schwabius acquieverunt: urios. Quod nihil aliud esse, quam yrios, quod apud Iulium Paridem Epit. Val. Max. VI. 5. ext. 4 p. 30., 24 pro Thuriorum invenitur: yriorum, declarat Nestor, scriptor nequaquam ad omnes partes inutilis, a quo ter hoc proditum esse: Thuriosque (Vocab. p. XIV vers. C vers. CXXXXIV vers.: „O quae caeruleo — Idalium Thuriosque apertos — Cnidumque arenosam“) omnibus adhuc incompertum est. Indidem intelligitur in libris Sangerm. et Dat., qui praebent utriosque, praepostere litteram t positam esse: sic enim Turinum invenimus in codicibus Suetonii Aug. 3. Turrios, Turos in Harl. Oxonn. Portug. Livii X. 2, 1. Tyrii in Bern. Ald. Val. Max. l. d. et Leid. Plin. N. H. III. 10, 5 cf. loc. paulo inferius affer. Nisi quis errorem illum ex hac scribendi ratione: idaliūtriosque manasse malit credere. Iam quum et idem illud Tyrio in Ricc. Plin. IV. 5, 7 (Thyrio Paris. 4) pro Thryon scriptum extet et apud Martialem IV. 88, 5 his variatum sit: thynni codd. plurim. thiri . tiri Wolfenbb. trani Gud. accedatque illud uiuosque, quod e Catulli codice Hamb. enotatum posteriore parte syllabam nos refert (cf. Liv. XXXII. 36, 3 Gaertn. Torvum), Thronium autem apud Livium XXXV. 37, 6 in Mead. 2 in trionium, in Bamb. in Thryonium verterit, XXXV. 20, 5 in Lov. in torum, in Voss. in thorum, quod ipsum saepius in locum vocis thronum suffectum esse testantur Oudendorpius Suet. Aug. 70 p. 283 et Burmannus Anth. Lat. II. 138, 8 p. 322, non obscuris indiciis

emergit nomen Tronos (quemadmodum apud Hesychium II. p. 1423 est *Τρόνα ἢ θρόνα,* quod omisit Engelius I. p. 575. cf. Liv. l. d.), Thronos:

Quae sanctum Idalium Thronosque apertos
Quaeque Ancona — (colis).

Quo nomine Cypri insulae promontorium Ammochosto urbi proximum vocatum fuisse auctores sunt Ptolemaeus: *Θρόνοι πόλις καὶ ἄκρα. — Μετὰ τοὺς Θρόνους τὴν ἄκραν Ἀμμόχωστος* et Strabo XIV. p. 683: *εἶτα Κουριὰς χερρονησιώδης, εἰς ἣν ἀπὸ Θρόνων στάδιοι ἑπτακόσιοι,* quorum hunc solum attulerunt Viri Docti Steph. Thes. IV. p. 427. B, utrumque Meursius I. 26 p. 71 et Engelius I. p. 99 sq. Promontorium autem hic dici satis perspicuo documento est ea ipsa vox, in qua explicanda nequidquam docti homines laborarunt parum recordati aperta cacumina intelligi aeri exposita Barth. Sat. Theb. VII. 626 p. 744 et Erycem ab Ovidio dici Fast. IV. 478 patere ventis semper apertum, ut Sunion expositum 563 cf. Burm. p. 276. Quare nolo Catullo adhibere Claudianum Nupt. Hon. 49 sq.: „Mons latus Eoum Cypri praeruptus obumbrat —. Hunc venti pulsare timent.“ A quo Zephyrium promontorium describi ut Meursio I. 28. p. 77 assentiar, facit versus 61: „rura — Zephyro contenta colono“, cuius versus nullam rationem habuit Engelius I. p. 88 cf. p. 156. 136 sq. Olympum montem templumque Veneris Acraeae significari arbitratus (cf. Epist. Crit. nostr. p. XXXII). Et haec quidem aliquanto probabilius argumentati videmur esse, quam Bergkius ea, quibus Philol. XXX. p. 682 docere studuit Catullo reddendum esse: „Chytrosque apertos“. Ovidio autem Met. X. 717: „Cypron olorinis nondum pervenerat alis“ non incommode hoc inferri: „Chytron“, quod quidem vocabulum singulari numero positum a Ptolemaeo (*Χύτρος* Meurs. I. 9 p. 29) et Hierocle (*Κύθρος* Wess. Synecd. p. 707. Engel. I. p. 147) ne Barlaeus quidem inter ea, quae locorum Veneris sacris nobilium propria fuerunt, referre instituit Heroic. IV. p. 711: „cernuntur Veneris delubra moveri Sedibus — Et trepidare Paphos. — Et Samos Idaliumque nemus Cyprusque Gnidosque.“

Ecce autem hic copia fit subveniendi Hesychii loco maxime aegro et prope deposito I. p. 1735:

Θρονίτις· πρώτιστος.

Nam nec Vossius et qui *χρωτιστός* proposuit, Faber opinionum suarum adstipulatores habuerunt et invento Albertii *θρανίτης,* quod Hemsterhusius et Taylorus consensu suo firmarunt, negotio satisfactum esse vocis *πρώτιστος* insolentia, ut ego arbitror, offensior merito negat Dindorfius Steph. Thes. IV. p. 427 B. Quid iam Schmidtius? is ad tantam audaciam prolapsus est, ut Hesychium suspicaretur „*θρονῖτις* (*ἐμπολί*) per *ῥωπικὸς φόρτος* interpretari.“ Quorum commentorum comparatio ipsa com-

mendabilem facit vel hanc expediendi rationem, si quis animum inducat priorem partem *θρονίτις πρω* hoc resarcire supplemento: *Θρόνοι τῆς Κύπρου,* posteriorem dicere vertisse in *τιστος,* quum antea fuisset *τισίας,* ut haec eius loci fiat renovatio: *Θρόνοι τῆς Κύπρου· Κτησίας;* Ctesiam enim constat *περὶ ὀρῶν* scripsisse. Quam sententiam qui nos dicet protulisse aut experientes subtiliorem occulta scrutandi curam aut ludentes, arguet fatentes: habemus enim, quod liqueat. Nam qui eius rei recordatus fuerit, quam a Pausania proditam V. 22, 3: *ἡ δὲ Ἀβαντὶς καλουμένη χώρα καὶ πόλισμα ἐν αὐτῇ Θρόνιον τῆς Θεσπρωτίδος ἦσαν Ἠπείρου κατὰ τὰ Κεραύνια* enarravit Palmerius Graec. Ant. I. 31. p. 171, facile concedet haec ad persuasionem apposite restitui:

Θρονῖτις· Θεσπρωτίς τις.

Quod quidem nullo fit negotio: nam et eius vitii, quo imminutum est nomen *Θεσπρωτίς* (cui fortasse non deerit qui praeferat *Ἠπειρῶτις*), similitudo cernitur apud Livium VIII. 24, 3: „Thesprotius sinus." Lov. 2 „promptis sinus" et in eo Stephani Byz. loco (v. *Γαλεῶται: φασὶ δὲ τὸν πρῶτον*), de quo vere nos Electt. Crit. p. 19 absolvisse Meinekius iudicavit, et syllabas *τος* et *τις* parum differre docent Scholiastae Theocr. VIII. 72 et Themistoclis Epist. IX verba a Schaefero Greg. Cor. p. 8 reparata. *Θρονῖτις* autem legitur apud Lycophronem 1148: *Θρονίτιδες Λοκρῶν ἀγυιαί* cf. Steph. Byz. p. 140, 15 West.: *Θρονίτης ἀπὸ τοῦ Θρονιώτης,* quae exempla commemorarunt Viri Docti Steph. Thes. IV p. 427. A.

Sed ne ab insulae Cypri memoria omnino recessisse videamur, licet adiicere Vatic. Proverb. Append. II. 30. p. 286 Schott.: *Μάξιμος ὕπαρχος ἦν Πομπηΐου πιστευθεὶς Κύπρον καὶ Σαρδώ.* Cuius loci hanc mutationem: *Κύρνον καὶ Σαρδώ* ab Appiano B. Civ. V. 67 p. 799. Vol. II: *διὰ Σαρδὼ καὶ Κύρνον ἐχομένας ὑπὸ τῶν Πομπηΐου.* 72. p. 807: *ἄρχειν δὲ Σαρδοῦς καὶ Σικελίας καὶ Κύρνου καὶ ὅσων ἄλλων εἶχεν ἐς τότε νήσων (Πομπήϊον), ἐς ὅσον ἄρχοιεν τῶν ἑτέρων Ἀντώνιός τε καὶ Καῖσαρ* suggeri atque adeo edici in Ephem. ad Res Gymn. pertin. 1855 p. 217 diximus. Quo eodem modo apud Claudianum B. Get. 218: „inhospita Cyrni Saxa" in omnibus codicibus insedit nomen Cypri.

Rob. Unger.